

census decem et octo grossorum latorum situs super quibusdam curiis apud beatam Mariam virginem in Mysna sitis, spectans de iure ad vicariam decanalem ecclesiae Mynensis fuit et est nobis et dominio nostro utilior et convenientior, igitur per nostros Johannem dictum Heynrichow advocatum nostrum et alios secretarios nostros ita ordinatum fuit et est, quod idem census nobis remanebit, quem quidem censum infra scripti cives, videlicet Johannes Mezcilwicz, Heyntzco Erich, relicta Conradi Brucherz, Johannes Longus, Thitzco doleator, Johannes Hose, Otto Slettow et quam plures alii, necnon et eorum heredes solvere tenentur. Et e converso in restaurum dicti census dedimus et donavimus praefatae vicariae et domino Fridehelmo eiusdem vicariae vicario ac suis successoribus in tantum videlicet XVIII grossos similiter latos de censu nostro, quem habemus in theatro sive in venditorio panni sito in Lomacz, per nostrum sive nostrorum posterorum eiusdem census collectorem primo ante omnia et in omnem eventum singulis annis in festo beati Michahelis sine aliqua remuneratione in perpetuum persolvendos. Concedimus etiam tenore praesentium praefato domino Fridehelmo et singulis suis successoribus has praerogativas, ut si idem theatrum sive domus panni quod absit per ignis incendium vel quocunque alio modo devastaretur seu deperiret, quod praedictus dominus Fridehelmus et sui successores ad reaedificationem dicti theatri penitus nihil dare et contribuere tenebuntur; annuimus et libere et ex bona voluntate, ut quociens collector dicti census tardus, negligens et remissus exstiterit, quod tociens praenotatus Fridehelmus et sui successores dictum censum possunt, debent et debebunt per censuram ecclesiasticam extorquere. Quem quidem censum ecclesiae Misnensi et vicariae praedictae ad usum Fridehelmi et suorum successorum in restaurum donavimus, dedimus, appropriavimus, tradimus praesentibusque donamus, damus, annectimus et iusto appropriationis titulo appropriamus cum omnibus suis iuribus honoribus et utilitatibus nihil nobis iuris in dicto XVIII grossorum censu servitii seu temporalitatis penitus reservantes, sed propter causam praedictam libere renuntiantes eisdem, praesentibus strenuis et honestis viris Johanne de Milticz milite, Hugone de Thubinheim, Conrado Theler, Nicolao sartore magistro civium, Hartemanno Gast, Johanne Ekilmani, Johanne Thimonis, civibus in Mysna et aliis pluribus fide plenis. Ut autem haec nostra donatio et appropriatio debitam sumant roboris firmitatem, hanc litteram nostris sigillis fecimus communiri. Actum et datum anno domini M^o.CCC^o.LV. in die Mathiae apostoli.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit den Siegeln der Burggrafen Meinher und Bertold (Schilder mit dem Andreaskreuz) an Pergamentstreifen.

No. 484. 1355. 7. März.

B. Johann erneuert die in Verfall gerathene Capelle auf dem Stolpen, giebt ihr eine Ausstattung und setzt die Ordnung des täglich abzuhaltenden Gottesdienstes fest.

In nomine domini amen. Ad haec sagax debet esse intentio sollicitior, ubi bonorum largitor omnium, rex regum dominusque dominantium praeconiis laudum colitur orthodoxorumque pia mens religiosior ac purior fieri non dubitatur. Verum